

- 53 Quae requiratur ut fides instrumenti per testes enervetur  
 54 Quaedam negotia non nisi per scripturam probari possunt  
 & statuta eam probationem exigentia sunt stricte interpretanda.  
 55 Referitur articulus Edicti perpetui requirens probationem  
 per scripturam in dispositione excedente summam  
 300 florenorum.  
 56 Similis est in aliis Regnis constitutio; & qua ejus ratio.  
 57 Articulus non excludit juramentum lisis decisorium,  
 nec confessionem partis.  
 58 Hinc concluditur scripturam non requiri ad substantiam  
 actus, sed tantum ad probationem; neque operari in  
 foro Poli.  
 59 Non est exclusiva probatio quam faciunt libri mercatorum.  
 60 Edictum etiam admittit scripturam privatam.  
 61 Ut de fide scripturae privatae statuitur, triplex ejus species  
 distinguenda.  
 62 Scriptura privata a scriptura in commodam scribentis fidem  
 non facit.  
 63 Scriptura privata facit fidem contra scribentem.  
 64 De jure distinguitur scriptura causam debiti non exprimens,  
 & eam exprimens.  
 65 Priori de jure fides plena contra scribentem non adhibetur,  
 quod non ubique in praxi observatur.  
 66 Posteriori plena fides habetur iâ de jure, quàm de praxi.  
 67 Quomodo cogendus quis sit ad recognoscendam suam  
 scripturam?  
 68 Scedula etiam privata in judicio recognita habet paratam  
 executionem.  
 69 Idque etiam si esset sine die & subscriptione.  
 70 Item si sola subscriptio fuerit recognita.  
 71 An sola appositio signi ejus qui scribere nescit?  
 72 Ordinatio Regis Galliae de hac recognitione ejusque effectu.  
 73 Conforme Edictum Caroli V. Imp.  
 74 Quomodo scriptura probetur.

**I.** Requentissimam probationis speciem esse, quae sit per testes, capite precedenti diximus: alia est per vocem mortuam, sive per scripturas seu instrumenta, de qua agitur tam in jure civili, quàm canonico sub titulo *De Fide instrumentorum*, ubi speciatim explicatur, quam fidem instrumenta mereantur; & consequenter, quid in judicio probent.

Varia est instrumenti in genere significatio; sed hinc specialiter sumitur pro qualibet scriptura, quae fidem rei, quam continet, iudici facit, & causam instruit.

II. Fides autem instrumenti seu auctoritas probandi varia est, pro diversitate instrumentorum; quae alia sunt publica, alia privata; alia rursus originalia, alia verò exemplaria dumtaxat: quorum nonnulla plenam, alia semiplenam, alia nullam, aut admodum exiguam fidem faciunt.

III. Publica instrumenta imprimis sunt, eaq; hodie usitatissima, quae à publica persona, veluti Notario in legitima forma confecta sunt.

IV. Duo proinde requiruntur, ut hoc pacto dicatur publicum & legitimum instrumentum: nimirum quod conficiens instrumentum sit persona publica, id est, auctoritate publicâ ad conficienda instrumenta constituta; & secundo, quod in legitima forma, quam leges & stylus patriae vel Curiae requirunt, sit confectum.

V. Neque enim sufficit, ut scribens sit persona publica simpliciter, sed requiritur ut sit auctoritate publicâ constitutus ad scribendum, sive ad conficienda instrumenta, vel litteras expediendas vel signandas, uti rectè notat Rebuffus in *Traçatâ De Chirographorum & Scedularum recognitione* n. 1.

VI. Hinc infertur n. 3. quòd, scriptura iudicis, etiam si habeat testes inscriptos, censetur privata: quia scribere non est iudicium officium, sed tabellionum,, Dicit; ex Baldo,, sive scriptura fiat in judicio, sive extra à iudice, poterit per testes reprobari, quia non est publica,.

VII. Et n. 4. concludit, quòd, litteræ manu propriâ Regis, etiam Francorum scriptæ, licet is sit publica persona etiam in his quæ ad suum pertinet officium, quia ad ejus officium non spectat scribere, privatæ dicuntur, & propterea non faciunt fidem, nisi sigillo vel aliis adminiculis junctur, & ideo Fiscus facit scripturas per tabelliones, vel alios Officiales ad hoc deputatos,.

VIII., Nec est inconueniens (ait n. 7.) privatam scripturam à publica persona emanare: quia in hoc, id est, quoad scribendum non est publica, sed privata, per tex. in *L. 3 ff. de Offic. Praesid.* ubi Magistratus est publica persona in suo territorio, extra verò territorium est privata: & sic extra officium, cui aliquis est praepositus, dicitur privatus.

IX. Qui ad conficienda instrumenta promiscua, extrajudicialia & inter privatos conficienda sunt constituti, hodie communiter dicuntur *Notarii à notis.* Primitus enim Notarii in conficiendis instrumentis quibusdam signis sive notis utebantur brevitatis causâ, quas postmodum extendebant, uti notat Claudius Horrius in suo *Notatio Apostolico pag. 14. edit. 1688.* Dicuntur & alio nomine *Tabelliones*; quorum in jure saepe mentio occurrit, videnturque cum hodiernis nostris Notariis convenire.

X. Porro cum non tantum super rebus temporalibus inter laicos, sed etiam spiritualibus & inter Ecclesiasticos instrumenta, ad probationem fieri soleant; imò posterioribus tandem saeculis invaluerit in Curia Ecclesiastica idem modus probandi, qui in Civilibus etiam coeperunt auctoritate Ecclesiastica creati Notarii, qui de rebus Ecclesiasticis, & inter personas Ecclesiasticas instrumenta confecerunt.

Hinc tandem invaluit duplex species Notariorum, nimirum Ecclesiasticorum & Civilium sive Regiorum.

XI. Ecclesiastici alii sunt Episcopales, qui auctoritate Episcopi Notarii creantur; alii verò *Papales*, quos hodie *Notarios Apostolicos* vocamus; qui nimirum auctoritate Apostolica sive Papali constituuntur; suntque hi soli hodie ferè noti. Cum enim Episcopus tantum queat dare auctoritatem conficiendi instrumenta limitatam ad suam Dioecesim, maluerunt recurrere ad Sedem Apostolicam, à qua illimitatam auctoritatem accipiunt.

XII. Verùm facilitas, quâ in Curia Romana jam pridem hæc facultas obtinebatur, numerum excessivum Notariorum, ac saepe admodum imperitorum invexerat, & quorum imperitia plurima damna, & multarum occasio litium orientur, uti deplorat Synodus Tridentina *Sess. 22. c. 10. De Reformatione*. Itaque propterea, quòd, possit Episcopus quoscumque, quae Notarios, etiam si Apostolicâ, Imperiali, aut Regiâ auctoritate creati fuerint, etiam tamquam Delegatus Sedis Apostolicae, examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari; illisque non idoneis repertis, aut quando cumque, officio delinquentibus, officii ejus in negotiis, litibus, & causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus exercendi usum perpetuò, aut ad tempus prohiberi, neque eorum appellatio interditionem Ordinarii suspendat,.

XIII. Dum de promulgatione Concilii Tridentini per Belgium faciendâ ageretur, ad citatum Decretum notarunt plerique; illud quod dicitur, Notarios auctoritate Imperiali vel Regiâ creatos, adhuc ab Episcopis examinari posse, admitti non posse illâ auctoritate Regiâ; & omninò observandum Edictum Caroli V. Caesaris de creatione Notariorum anno 1533.

Conformiter ad hanc notam, Notarii Regiæ seu auctoritate Regiâ admissi ab examine Episcoporum hic in Belgio eximuntur; nec unquam Episcopi eorumve Officiales simile examen præstent, aut præstidisse sciunt.

XIV. Quin nec Notarii Apostolici hodie solent hic in Belgio examen Ordinarii subire, modò à persona in dignitate Ecclesiastica juxta litteras Romanas admissi fuerint. Volunt tamen Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciae Mechlin. *1. art. 6. ut.*, Omnes Notarii Apostolici, etiam Ecclesiastici, intra tres menses, Officiales cujusque Dioecesis, litteras suas creationis ostendant; & si ei visum fuerit, eos, juxta *Capitulum 10. Sess. 22. Concilii Trid.* examinet, & si minus idoneos

repe-

repererit, eis in negotiis litibus, aut causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus, officii exercendi usum perpetuò, vel ad tempus inhibeat, sub pœna arbitraria, eaq; gravi, Permittendi autem registrabuntur à Graphiario singularum Curiarum, & horum Statutorum observationem, quantum eos concernent, promittent,.

XV. Ex moderato stylo Curia Romanæ litteræ creationis Notariorum expediuntur in forma *commissoria*, inscribunturque non raro generaliter personis Ecclesiasticis in dignitate constitutis, vel earum cuiilibet insolidum, diciturque: *Creationi vestrae, de qua plenam in Domino fiduciam habemus, per presentes committimus & mandamus, ut si praevio riguroso examine eundem N. vitâ, moribus, practica, litteraturâ, cæterisque partibus habilẽ & idoneum esse cognoveritis, seu aliquis vestrum cognoverit, & super quo conscientiam vestram oneramus, ipsum in Notarium & Tabellionem publicum & Judicem ordinarium cum solitis facultatibus, Apostolicâ auctoritate prædictâ ordinatis, creatis & institutis, seu aliquis vestrum creet, ordinet & instituat, ipsumque per penam & calamitatem, aliaque consueta insignia de dictis Officiis investiat, prout nos in eventum prædictum harum serie ordinamus, creamus, & investibus cum facultate quoad pias & Ecclesiasticas causas ac ab eis dependentes & concernentes tantum per quascumque mundi partes, civitates, terras, oppida, castra, villas & omnia alia totius orbis loca sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediâ vel immediatè subjecta, quoscumque, contractus, distractus, conventiones, acta, actus judiciales, inter vivos & causâ mortis donationes, testamenta, codillos & omnes alias ultimas voluntates, cæteraque instrumenta ad forum Ecclesiasticum dumtaxat pertinentia rogandi, recipiendi; subscribendi & publicandi, omniaque alia faciendi, quæ ad officium Notarii Tabellionisque publici & Judicis ordinarii pertinere dignoscuntur, quodque ad eundem D. N. Notarium Tabellionemque publicum, & Judicem ordinarium tanquam ad personam authenticam publicè recurratur, instrumentumque publicis per eum conficiendis stetur, firmiterque credatur, & plenaria fides adhibetur in judicio & extra,.*

XVI. Itaque approbandus in Notarium litteras alicui personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sibi magis notæ, quamque sibi magis affectam credit, præstatur: qui præmissio examine secundum tenorem litterarum, & præstito prius juramento (cujus formula in litteris exprimitur) ipsum auctoritate Apostolica Notarium creaturum; illimitatè ad omnes Dioeceses in loca; atque hic in Belgio sæpius nulla alia Ordinarii prævia examinatione aut admissione; vi hujus admissionis instrumenta publica conficiunt; & pro publicis Notariis Apostolicis se gerunt.

XVII. Quia verò hoc examen committitur personæ ab ipso examinando eligenda, haud difficulter intelligitur, quàm parum efficax sit hujusmodi examen ad impedendum admissionem Notariorum insufficientium, & ex quo rursum impertita plurima incommoda & lites nata sunt orti, & indies oriuntur,

XVIII. Ut proinde efficacius hæc incommodis occurratur, ordinatum fuit in Gallia Edicto Henrici II. anni 1550. quod se refert ad Edictum anni 1547. quòd fides non adhibebitur instrumentis factis per Notarios Apostolicos, nisi prius fuerint examinati & admissi per Archiepiscopos, Episcopos, eorum Vicarios vel Officiales, & præstito coram ipsis juramento,

XIX. Hujus examinis, & præstiti juramenti debent habere litteras sub sigillo Dioecetani sive Vicarii seu Officiales. Per Vicarium enim ibidem significari Officiale sive Vicarium habentem tribunal, satis manifestum est ex contextu, & praxi confirmata.

XX. Requiritur præterea, quòd nomen, cognomen eorum, & locus domicili & residentiae registrentur in Graphiaria Curia Archiepiscopalis, aut Episcopalis. Registratio hæc pariter fieri debet in Curia Regiâ Præficiali dictæ Dioecesis.

XXI. Denique requirit edictum, ut resideant in Urbibus vel Oppidis & insignioribus locis Dioecesis. Idque intra numerum à Curia Præficialibus pro ratione Dioecesis taxatum.

XXII. Verba Edicti sunt: *Premierement, que par nos Cours souveraines, & autres nos juges, en jugeant le possesseur des benefices contentieux, ne sera soy adjoustée es procurations pour resigner, ne revocatio d'icelles, prises de possession, & autres actes & instruments pastes par Notaires Apostoliques, s'ils ne sont préalablement examinés. & reçeux par les Archevesques, Evêques, leurs Vicaires, ou Officiaux; & sans serment entre leurs mains, & de ce ayant lettres sous leurs sceaux, qui est aussi enregistrer es Greffes des Cours desdits Archevesques & Evêques & Cours Præficiales de nostre Royaume suivant l'Edict par nous fait, leurs noms & jurons, & declarer le nom du lieu de leur demeurance qu'ils seront tenus faire aux villes & plus notables lieux desdits Dioeceses, respectivement: selon le departement & nombre qu'il sera advisé.* Id est: Primò ut nec Senatus nolite Supremi, nec alii nostri Judices dum de possessione Beneficiorum contentiosorum cognoscent, fidem adhibeant procuratoribus ad resignandum seu earum retractationibus, inductionibus in possessionem, aliisque actibus & instrumentis per Notarios Apostolicos confectis, nisi præviè fuerint examinati & admissi ab Archiepiscopis, Episcopis, eorum Vicariis aut Administris & ad manus eorum juramentum præstiterint litterisque sigillo eorum munitis desuper obtinuerint, & ad Graphiariarum dictorum Archiepiscoporum, Episcoporum & Curiarum nostri Regni Præficialium juxta Edictum quòd à Nobis emanavit, retulerint nomina sua, cognomina, indicaverintque nomen loci comorationis suæ, quam obstructi erunt facere in Civitatibus locis; Dioecesi celebrioribus respectivè, juxta distributionem & numerum qui designabitur.

XXIII. Et licet Edictum non loquatur expressè, nisi quantum ad fidem adhibendam in judicio possessorio; tamen idem esse in judicio petitio in quacumque Curia causa agitur, neque tantum in causa Beneficiali; sed & in alia quacumque testantur passim Pragmatici post Molinæum ad hunc textum.

XXIV. Eodem edicto §. 2. statuitur, quòd Notarii non possint fungi officio Notariatus, nisi in una dumtaxat Dioecesi sub pœna falsi, & nullitatis contractuum. Verba sunt: *Et ne pourront lesdits Notaires exercer lesdits Notariats qu'en un Diocèse sur pœne de faux, & de nullité des contrats qui seront reçeux hors du Diocèse, au quel ils auront esté reçeux.* Id est: Nec fas erit dictis Tabellionibus nisi in una dumtaxat Dioecesi manus suam exercere, sub pœna falsi & rescissionis contractuum, quos confecerint extra Dioecesim in qua fuerint recepti.

Itaque Notarii Apostolici non possunt in Gallia conficere, publica instrumenta, aliosve Actus Notariales exercere, nisi in illa Dioecesi, in qua admissi sunt, juxta formam antea expressam: & si fecerint, incurrunt pœnam falsi, & contractus coram ipsis facti sunt nulli.

XXV. Edicto Caroli IV. de 7. Octobris 1531. quod extat parte 1. Edictorum Flandriae *Lib. 3. Rubrica 1. cautum est §. 4. ut nullus possit exercere officium Notariatus, nisi præviè examinatus & admissus à Concilio Provinciali cujusque territorii sive loci in quo hujusmodi officium exercere volet, litterisque admissionis obtinuerit; idque ut ait Edictum, ad obviandum abusus & fraudibus qui per Notarios committebantur in grave præjudicium subditorum. Verba Edicti sunt: *Ende omme te voorzene op de gebreken, fanlten ende abuse, die in onzen voorseyden landen ghecommitteert worden, by den Notarijssen ofte Tabellionen, by eenighe nye simpelke te ende ignorantie, ende by den anderen, met propooste ende opsetten vulle, tot grooten interesse van onzen onderzaten, ende van der ghemeynder welvaerd; hebben wy ghestatueert ende statueren, dat van nu voort daer nymand tot den voorseyden staete gheadmitteert en zal worden, dan vermaerde ende veel ghefaemerde lieden ende de ghene, de by examinatie ende onderzouk van den Raofft ende**



ende lieden van onzen raeden ende Provincialen Rechteren, in elck landt bysondere bevonden zullen voordere daer toe expeert bequame ende ſufficient te zyne, ende voor zuleke gheapprobeerde: ende dat daer af blycke by acte van den voorschreven Raeden ende Provincialen Rechteren. Id est: Ad occurrendum de defectibus, erroribus & abusibus, qui in districtis nostris regionibus per Notarios aut Tabelliones committuntur, ab aliquibus quidem simplicitate & ignorantia, ab aliis vero dedita opera, in grave subditorum nostrorum & boni publici detrimentum: mandavimus prout & mandamus, ut nulli in posterum ad id munus assumantur, nisi qui sint probe noti & bonae famae, talesque qui praevio examine, & inquisitione Praesidis & Consiliarium nostrorum Judiciumque Provinciale, in qualibet particulari Provincia ad id reperiant idonei, capaces, & habiles, & ut tales fuerint approbati, & hujusmodi consistet per acta dictorum Consiliorum & Judicium Provinciale.

XXVI. Conformiter ad hoc Edictum, notoria est Praxis Belgii, nullos Notarios hic in Curia secularibus, aut contractibus, aut actibus civilibus expediendis admitti, nisi a Curia Regia cuiusque Provinciae admissi sint. Neque facile hic in Belgio admittitur auctoritas Notarii Apostolici in actibus merè profanis.

XXVII. In veteri stylo Parlamenti Parisiensis part. 3. tit. 25. art. 2. habetur Ordinatio Caroli VIII. de anno 1490. Prohibemus omnibus subjectis nostris laicis, ne habeant, passari vel recipi facere contractus eorum per Notarios Apostolicos, Imperiales vel Episcopales in materiis temporibus vel profanis, alioquin nulla fides adhibebitur, reputabunturque nulli, & nullius efficaciae seu virtutis.

Refertur idem articulus inter probationes Libertatum Ecclesiae Gallicanae c. 7. n. 4. 5. ad ista nota, in qua plura referuntur conformia arreta huius ordinationis, asseriturque obligationes factas coram Notariis Apostolicis non esse subjectas provisioni. Prohibitum esse Notariis Apostolicis conficere inventaria. Item testamentum confectum per Notarium Apostolicum esse nullum; quod & asserit Brodæus in notis ad Louëtum lit. Num. 5. idque indifferenter sive testatum sit laici sive Ecclesiastici: tamen si testamentum factum eorum Curato & duobus testibus sit validum: quia Curatus ad excipienda testamenta est autorizatus, etiam per Edicta Regia, non autem Notarius Apostolicus. Testamenta enim hodie censentur spectare non ad jurisdictionem Ecclesiasticam, sed a secularem, uti ibidem notat Brodæus. Vide etiam Claudium Horrii in suo Notario Apostolico pag. 16. edit. 1688.

XXVIII. Ordinationes & consuetudinem Regni de non adhibendis Notariis Apostolicis in negotiis merè civilibus esse conformes moribus & statutis omnium passim Regnorum, notatur in citata nota ad c. 7. probationum libertatum Ecclesiae Gallicanae.

XXIX. Solent Notarii Apostolici hodie expedire instrumenta in materiis Ecclesiasticis, ac praesertim Beneficialibus, & quae in Curia Ecclesiasticis, ac nominatim in Curia Romana tractari debent. Quae verò sint materiae expediendae per Notarios Apostolicos ex hodierno stylo Regni Galliae, breviter enarrat Claudius Horrii loco citato pag. 6.

XXX. Notarius in confectioe instrumenti debet facere mentionem suae qualitates, & in qua Curia sit admissus, & loci suae residentiae, quemadmodum Notarii Regni hic observant.

XXXI. Notarii non nisi a partibus rogati instrumenta conficere, aut alios actus notariales ad ipsas spectantes excipere debent. Imò Edicto 4. Octobris 1550. (quod extat Parte 1. Edicti Flandriae lib. 3. Rubrica 1.) cautum est, ne ulli Notarii contractus aut testamenta conficiant pro personis quae ipsis ignotae sunt, nisi testes viri probe & noti asserant eas esse tales, quales se indigent; illudque actus inscribatur, & earum simul domicilium. Id ipsum & in Gallia cautum esse notat Bugnionius de Legibus Abrogatis lib. 2. c. 115.

XXXII. Eodem Edicto praescribitur, quod Notarii tenebuntur conficere sufficientia & iuxta registra prothocolla

omnium contractuum, testamentorum, aliorumque actuum quos conficiunt, eaque registrarunt iuxta ordinem temporis quo confecti sunt; in calce cuiuslibet testamenti, contractus vel actus, notabunt praedictum registrum, illudque sollicitè custodient; ut ad illud in casum necessitatis recursus haberi queat; idque sub poena privationis officii, & inhabilitatis ad illud, & insuper correctionis arbitrariae. Verba Edicti sunt: *Das alle Notarissen gheadmittert ende gheapprobeert, sollen ghehouden wesen te maeken goed ende rechtveer degh registre ende prothocolle van allen contracten, testamenten ende ander acten die zy passeren ende ontfanghen sollen, ende de zelve registreren by ordere dat zy die ontfanghen zullen hebben ende ghepasseert: ende in thende van elck contract, testament, oft ander acten, teekenen voorseyde register, ende te selve wvel bevvaren om daer toe recours te hebben vvanneer dat van noede wvesen sal: op de peyne ghepreveert te wvesen van den vorseyden state, ende verclaert inhabil nemmermeer te moghen exerceren officie ende boven dien arbitralicken ghecorrigeert.* Id est: Ut omnes Tabelliones admissi & approbati, obstringantur conficere sinceros & fideles commentarios & prototypa contractuum, testamentorum, aliorumque actuum quae admitterint & receperint, eademque eo ordine quo exceperint in tabulas suas referre, & ad calcem cuiusvis contractus, testamenti aut alterius acti praedictos Commentarios notare, eosque cautè asservare, ut ad eos possit recurri cum opus fuerit, aliàs dicto munere privandi & inhabiles declarandi, ut officium umquam exercent, arbitrariaque insuper poena imposita.

XXXIII. Meritò prothocolla sive minuta omni diligentia a Notariis conservari mandantur: quia scitur, quam multa plerumque inde incommoda partibus obvenire queant; & quam facile defectu prothocollorum probatione juris sui destitui.

XXXIV. Hinc & inter caetera jurat in sua admissione Notarius Apostolicus, *Contractus in Prothocollum redigam, & postquam sic redegero, malitiosè non differam, contra voluntatem illorum vel illius, quorum vel cuius est contractus super eo conficere publicum instrumentum.*

XXXV. Ut instrumentum sit publicum, de jure communi requiritur, ut una cum Notario interveniant ut minus duo testes, hiique cum Notario subscribant sive signent Cap. 2. *De Fide Instrumenti.* & ibi Doctores, quod & in Gallia obtinet ex Edicto Aurelianensi art. 85. uti testatur Bugnionius lib. 2. c. 116. & in Sabaudia extare Senatusconsultum, quo jubentur Notarii facere, ut tam a testibus, quam contrahentibus, si litteras sciant, instrumenta subscribant, refert Antonius Faber. in Cod. lib. 4. tit. 16. *Definit.* 19 n. 8 in notis Apud nos Belgas non requiritur subscriptio testium, sed satis est nomina testium instrumento inscribi, nisi in causis majoris momenti, puta ultima voluntate, ubi necessaria est duorum testium subscriptio, uti expressum est art. 12. Edicti de anno 1611. item pactis antenuptialibus & similibus magni momenti. Vide Christianum ad citatum locum Bugnionii.

XXXVI. Praeterea Notarius debet annotare annum, mensem & diem & locum ipsius contractus. Quin invocationem Numinis, annum regnantis Principis, & indicationem exprimensda esse vulgò tradunt Interpretes; quod tamen hinc in Provinciis a Notariis saltem Regiis non servatur: quamvis Notarii Apostolici invocationem Numinis praemittere, & annum regnantis Pontificis, nec non indicationem exprimerent soleant.

XXXVII. Praeter haec instrumenta a publicis Notariis legitime confecta, sunt & plures aliae scripturae, quae pro publicis instrumentis reputantur, & in iudiciis ad fidem adstruendam pro publicis habentur: puta quae a publicis Graphariis vel Secretariis signata sunt; vel sigillo authentico Principum, Civitatum, aliorumque publicorum corporum. Item acta judicialia, quae utriusque Parti sunt communia, & registrata sunt ab illis qui registrandi publicam auctoritatem habent. Vide Glossam ad Cap. 2. *De Fide instrumenti.*

ment. verbo, *Sigillum*. Merulam in Praxi lib. 4. tit. 66. cap. 2.

XXXVIII. Antiquae item sive veterum scripturae, antiqua arma, insignia, aut alia signa, aut scuta picta, aut insculpta lapidibus, sepulchris, aut tumbis, vel ad muros, aut ad Columnas, ea omnia publicae quoque sunt probationes, ideoque iudicem plurimum movent, ut ex his si dem colligat, potissimum si multum essent vetusta, aut si tam longo stetit tempore, ut eorum initia vix ulla extaret memoria; ideoque & vehementem probationem procul dubio efficiunt, & tantò majorem fidem faciunt, si cum iis & alia adminicula concurrant. Sic etiam dici potest de illis litterarum, aut scriptorum Probationibus, quae reperuntur in antiquis Ecclesiarum libris, Missalibus, Martyrologiis, aut in similibus, quorum initia quoque memoria non existat. *Damhouderus cap. 174. Adde Glossam ad Cap. 13. De Probationibus.*

XXXIX. Id ipsum notat Merula loco citato num. 7. ad ditque num. 8. idem dici posse de iis, quae in antiquis historiis occurrunt: quod tamen intelligi oportet, si sint Historici fide digni; aut saltem pro talibus publicè & communiter reputati.

XL. Si libri sint confecti per Officiales publicos, ad hoc publicè auctoritate Superioris constitutos, hujusmodi libri pro publicis habentur, & plenam fidem faciunt; praesertim in iis, quae concernunt officium dictorum Officialium; uti post alios docet Molinæus ad *Consuetud. Paris.* tit. 1. §. 8. num. 23.

XLI. Vicem instrumenti publici habet quoque scriptura sive instrumentum sumptum ex Archivo publico; probaturque plene, etiam si careat subscriptione Notarii, testibus, aliisque sollemnibus publici instrumenti, uti expressè notat Glossa citata.

XLII. Publicum Archivum dicitur, quod erectum est auctoritate publicè, asservationi authenticarum scripturarum specialiter destinatum, atque sub custodia Officialis publici ad hoc deputati; quale est insigne illud Archivum Praefecturae Aurelianensis, unde promuntur documenta plenae fidei, nedum inter Aurelianenses subditos illi Praefecturae, sed inter omnes Regnicolas, imò inter quoscumque; teste Molinæo ibidem n. 30. additque: *Secus si de facto quoddam Archivum erigeretur a non habentibus potestatem, supremam legè econdendi, & Notarios publicos creandi, quia illud esset potius privatum chartophylacium, vel bibliotheca, quam publicum Archivum, nec esset authenticum, nec scripturis inde prolatis crederem fidem adhibendam, nisi essent in forma, & haberent solemnia publici instrumenti, & maxime, quando ageretur de utilitate eorum, qui constituerunt illud Archivum.*

XLIII. Quae haec tenus dicta sunt de instrumentis publicis, intelligenda sunt de scriptis Originalibus. Originale autem instrumentum est ipsa prima scriptura, quasi origo sit ipsius actus, & omnium exemplarium; uti exponit Covarruvias *Pract. qq. cap. 19. n. 1.* ubi & monet, Originale quoque rectè vocari *Authenticum*, tamquam certam fidem faciens: atque de hujusmodi scriptura *authenticam* intelligi debet Cap. 1. *De Fide instrumenti.*

XLIV. Hodie originale instrumentum non est ipsa Minuta sive Matrix a Partibus & Notariis, subinde & testibus signata, quae apud Notarium remanere debet; sed instrumentum ab eodem Notario iuxta dictam Minutam confectum & signatum, uti ibidem ex Molinæo ad *Consuetud. Paris.* tit. 1. §. 8. n. 42. rectè monet Covarruvias n. 2.

XLV. Si scriptura ab alio Tabellone ex ipso Originali sit desumpta, hinc concordantiam cum ipso originali testatur, erit haec scriptura *Exemplar* Originalis, non autè Originalis; soletque hodie hujusmodi scriptura sive exemplar auctoritate Notarii ex Originali desumptum vocari *copia authentica*: quia licet non parem fidem cum originali faciat, tamen aliqualem meretur, propter auctoritatem testantis.

XLVI. Interim exemplaria sive copiae fidei in iudicio non faciunt argumento Cap. 1. *De Fide instrumenti.* ubi dicit Pontifex: *Si scripturam authenticam non videmus, ad exemplum Van Espen Jur. Eccl. P. III.*

plaria nihil facere possumus. Ibidem monet Glossogra-phus: *Nota, quod exemplari non creditur, nisi ostendatur Originale.*

Rationes, ob quas copiae non credatur, sunt, quia relatu ad aliud probari debet ex illo, ad quod refertur. Deinde alius Notarius, aut copiam faciens subinde accipit, aut intelligit (etiam sine fraude) tractum litterarum aut verborum aliter, quam Notarius, qui originale confecit; è quo sensus æquivocus oriri possit; atque inde ulterius obscuritas, quae & falsitas; praesertim quod lapsus temporis interdum inducat aliam formam litterarum & scriptiois. Vide Merulam in *Praxi lib. 4. tit. 66. cap. 4.*

XLVII. Exemplaria autem plenam fidem faciunt, si ad originales litteras per Iudicem vel Commissarium collatae sint; idque in praesentia Partis adverteat, aut certe in ejus absentia, si ad collationem videndam fuerit vocata, & contumaciter se absentaverit; quemadmodum Capite praecedenti De Juramento testium in praesentia Partis excipiendum dictum fuit: atque in Ordinationibus Curiarum Ecclesiae Provinciae Mechliniensis sub eodem art. 4. agitur de citatione Partis ad videndum jurare Partes, & instrumenta exhiberi, & cum suo originali conferri: & qualiter Parte per contumaciam absente in utroque perendum sit.

XLVIII. Similiter sicuti examen testium subinde alteri iudici committitur ad evitandos sumptus; ita collatio scripturarum cum instrumentis originalibus committitur iudici loci, in quo originalia servantur; debetque iudex attentè advertere, an in ipso originali non insint aliqua vitia aut an ipse locus originalium litterarum non sit ipsi suspectus. *Nam si quae vitia aut suspiciones reperiat, ea vitia, scilicet suspecta loca, nomen, summa, data, locu, & similia, diligenter annotabit, & ita notata, cum transumpta collatione, remittet ad Commissarium, aut ad priorem iudicem.*

XLIX. Ita Damhouderus in Praxi rerum civilium c. 174. num. 9. ubi & n. 10. monet, quod si aliqua instrumenta fuerint negligenter custodita, aut vetustate corrumpi incipient tum iudex possit eadem in praesentia Partis vocatae restituere & renovare, ita ut sint legibilia.

L. De hac traductione instrumenti ex ipso originali textus est specialis in *Cap. fin. De Fide Instrum.* ubi decernitur: *Si instrumenta propter vetustatem, vel propter aliam justam causam exemplari petantur, coram ordinario iudice vel delegato ab eo specialiter praesententur: qui si ea diligenter inspecta, in nulla sua parte vitia repererit, per publicam personam illa praecipiat exemplari, eandem auctoritatem per hoc cum originalibus habitura.*

LI. Notant autem hic communiter Doctores, quod exemplatio haec fieri necessariò debeat ex originali seu authentico instrumento. Si enim facta esset dumtaxat ex aliquo exemplari etià solemnè, & in forma legitima confectum, non crederetur, etiam si solemnè traductio facta esset, & ita in Praxi servari tradunt citati a Covarruvia *Pract. qq. c. 21.* undè tamen notante, quod id fallat, si originale & prothocollum sint deperditae; item si primum exemplar auctoritate iudicis sit traductum ex originali vocatis Partibus, ut tunc exemplum ex hujusmodi exemplari productum fidem faciat inter easdem partes, earumque haeredes, plura ibidem de fide exemplarium traductorum examinante.

LII. Instrumentis publicis legitime confectis, & in iudicio iudici exhibitis plena fides adhiberi solet: adeo ut ulterior probatio requirenda non sit: crediturque omnibus, quae in instrumento dispositivè asseruntur: neque facile contra instrumentum publicum legitime confectum testes recipiendi sunt iuxta illud Pauli Juris Consulti §. *Sentent.* 15. *Testes, cum de fide tabularum nihil dicitur, adversus scripturam interrogari non posse, id est, standam esse instrumento, nisi falsum arguatur, scripturae fidei in dubium vocatae, uti exponit post Cujacium Diodorus Tuldenus ad titulum Codicis De Fide Instrumenti. num. 2.*

LIII. Ibidem notat Tuldenus, quaedam esse instrumenta, quae impugnari testibus non licet, ut monumenta publica, libros Civitatum, & hujusmodi. De reprobatione instrumenti